

**05**

**A**

**169**



10

I. N. J.

DISPUTATIO PHYSICA TERTIA,

caq; ULTIMA,

De

STILLICIDIO

SANGVINIS EX INTEREM-

TI HOMINIS CADAVERE,

PRÆSENTE OCCISORE,

*Quam*

In florentissimâ VVittebergenfi Academia

P R Æ S E S

M. GOTHOFREDUS *Voigt*

Delicio - Misnicus,

&

RESPONDENS

GEORGIUS LANI, Trentschi-

nio - Hungarus,

*publica doctorum censura*

*submittent,*

In Auditorio Minori,

*Horis Matutinis, Die 2. Novembr.*

---

WITTEBERGÆ

Typis JOHANNIS BORCKARDI, Anno 1667.





05 A 169

A. & N.  
De

STILLICIDIO SANGVINIS  
EX INTEREMTI HOMINIS CADAVERE,  
PRÆSENTE OCCISORE.  
ΑΝΑΣΚΕΥΗ,

*Adversariorum sententias examinans.*  
EXAMEN I.

*Opinionis Galeoti & Sympathias defensorum.*

§. I.

**H**Æc sententia multiplici laborat morbo. Nam (1) *falsò* fluxus sanguinis ad *decimam* aut *duodecimam horum* à tempore cædis commissæ refertur. Cum n. *quantitatis* nulla per se sit *efficacia*, hoc quoq; loco homorrhagia illa ad certum aliquod tempus restringi minimè potest. Quid? quod exempla existunt quamplurima, quæ post aliquot demum dies & septimanas, imò elapsis aliquot annis sanguinem ex interemti hominis cadavere profluxisse testantur. (2) *Falsum*, quod *Spiritus* è proprio suo subjecto *emigrent*, & postquam in alieno diu habitassent, in illud *remigrent*. *Interitus* quidem *motus* ipsis conceditur, dum in proprio corpore, modò huc, modò illuc, nunc sursum, nunc deorsum moventur; sed *motus* ille *externus*, quem *Galeotus* comminiscitur, tanquam merum cerebelli humani *figmentum*, meritò rejicitur. (3) Ea ratione in *occisore* potius, quàm *occiso* *Spiritus* movebuntur, sanguisq; excitabitur. In occidente n. omnis adhuc perfectè nativus inest calor, quo maximam partem destituuntur cadavera: Calore autem absente, nihil vel certe parum de spiritibus reliquum manet. (4) Verendum, ne *cadaver* etiam *bovis* vel *suis* ad *presentiam lanionis*, vel alterius animantis hæmorrhagiam patiat, præsertim si cum vindicta violenter sit occisum. Par n. utrobiquè ratio est. Idem siquidem, ut in homine, ita in

A 2

bruto

bruto quoq; spiritus reperiuntur. (5) si occisoris spiritus in occiden-  
 dum convolent, itidemq; hominis trucidandi, vindictæ cupidi, in  
 occisorem tendant, sequeretur, cadavera eorum, qui sine vehemen-  
 ti commotione decessere, sanguine non stillare: atq; posterius est fal-  
 sum; Ergò & prius. Minor vel ex solo illo *Horstii* exemplo constat,  
 quod primâ statim *Μεσκέψως* suæ facie enarravit. Vid. disp. 1. art.  
 1. (6) *Falsum est, spiritus occisi in occisoris corpore vivere.* Nam aut  
*principaliter*, aut *instrumentaliter* ibi vivere dicuntur. Non illud: quia  
 sola anima, *principalis vitæ causa* est. Neq; hoc: quia aut *vivificantur*  
*ab anima occisi*, aut *ab animâ occisoris*; cum tertium hic non detur.  
 Sed non diriguntur ac *vivificantur ab anima occisi*, quæ ab ipsis *separa-*  
*ta* est, & in certo suo versatur πῆ; multò minùs ab *anima occisoris* in-  
 formantur, cum hæc n. ejusq; instrumentis *dissensum* alunt, juxta *hy-*  
*pothesin Galeoti*. Et quâ fieri posset, ut *spiritus occisoris* longè plures  
 atq; fortiores, debiliores illos *occisi spiritus*, sibi inimicos, tolerent? Non-  
 ne quantâ possent vi eosdem expellerent? Id enim *hostium* requirit in-  
 doles. Ergò relinquitur, spiritus occisi in occisoris corpore  
 minimè vivere posse. (7) *Falsum est, sanguinem jam*  
*frigefactum, à spiritibus occisoris, in ipso existentibus, iterum agita-*  
*ri & ad fluxum aptum reddi.* Nam si *sanguis frigesit*, & ad fluxum  
 ineptus efficitur, tunc quoq; *spiritus* in ipso contenti, motricem su-  
 am facultatem amittent. Atqui verum est prius; Ergò & posterius.  
*Majoris consequentiam probamus: quia spiritus illi nihil aliud sunt*  
*quam subtilissima subtilissimi sanguinis particula.* Vid. *Sperling. in*  
*Zool. p. 152.* Jam verò quemadmodum *sanguis, exhalato omni calore,*  
 consistentiam atq; fluiditatem suam non retinet, ita nec *spiritus* illi  
 absq; calore suas edere poterunt operationes. (8) *Contradictio* est,  
 quando ultimo loco *Galeotus* scribit, *corpora esse debere calidiora*, quo-  
 niam calore spiritus conservantur; & tamen in antecedentibus dix-  
 rat, *sanguinem jam esse frigefactum.* Si enim est *frigefactus*, quomodo  
 calor ibidem esse potest? Si verò hic adest, quomodo *frigus* ibidem  
 locum inveniet?

§. II. Sed ad *Sympathiam* propius accedimus, eamq; & hic  
 proscribimus. Nam quænam inter *latronem* & crudeli nece *perem-*  
*ptum*, esse possit *amicitia*? Quâ ad unionem sui hostis sanguis inclinet?  
 Non

Non fugiat magis ac retrò se abscondat emerſurus? Quomodo ſpiritus illi, qui ex interfectoris oculis in interficiendum ingreſſi dicuntur, tantam vim habeant, ut magnam ſanguinis copiam extrahant? Quo altore vis impreſſa ad plures annos perfeveret, in alijs deficiat, proximo dierum ſpatio? Utriuſq; enim experimenti hiſtoria præſtò eſt. Adde quod *Sympathia* pariter ac *Antipathia* cum *orturerum*, ſtatim *incipiat*, & perpetuò *eadem* ſit; hìc tamen longè aliter ſe res habet.

## EXAMEN II.

### *Opinionis Lemnii, Schotti, Kircheri &c. ad Antipathiam confugientium.*

Utut *probabilis* videatur hæc advertio, obſtant tamen nonnulla, quæ de ponte eam dejiciunt. Nam (1) *Omnis Antipathia à natura congenita eſt, & innata*: Atqui *inimicitia* inter ſanguinem occiſi & occiſorem à natura non eſt congenita & innata; Ergò non eſt *Antipathia*. *Majorem* confirmant exempla, quæ de verâ *Antipathia* proferuntur, omnia. Sic à natura innatum eſt odium lupo & ovi, accipitri & columba, braccia & viti. Sic nobilis illa *Matrona*, cujus mentionem facit *Renodæus Inſtit. lib. 1. c. 8. p. 9.* à primo ſtatim *nativitatis momento* ſine deliquio animi *roſarum* ferre nequivit odorem. Sic *alia* ſpectatæ forma & virtutis *fœmina*, nomine *Franciſca*, ab *infantia* ſtatim *carnium eſum* abhorruit, teſte *Scalig. Exercit. 153. ſ. 10.* Sic quidam *Hiſpanus* nunquam *piſces* guſtarat nec delibare potuerat: at cum ab amico ſemel ad coenam fuiſſet invitatus, ovaq; deguſtaſſet, quibus ſiccati piſcis pulvis cautè fuerat admixtus, in animi anguſtias, cordis preſſuras, cum vomitu & ſeceſſu incidit, ita ut exanimis propè deficeret, autore *Amato Luſitano Curat. X. Cent. 2.* Sic *parens* ille, de quo *Libavius Tract. de Antipath: Rar. part. 2. Sing.* verba facit, filium ſuum ab *ortu* ſtatim in eodem conclavi tolerare non potuit. Hæc ad *Majorem*. *Minorem* probamus: quia *inimicitia* illa *ex accidenti* interfectori & interficiendo in inimico illo & hoſtili conflictu, imprimitur (loquimur ex hypotheſi) nec à natura ſtatim connaſcitur. Arctiſſima enim ſæpius occiſorem inter & occiſum inter-

cessit amicitia, nec ulla dissensionis alicujus in vita apparuit nota.  
Quod si igitur hæc inimicitia à natura occidendo esset impressa, cur non in vita statim per sanguinis effluxum esset manifestata?

S. II. Sed *instabilis* fortassis: Quamvis antipathia non ex cognitione quadam sensuali, sed propriè ab ipsa natura dependeat; non tamen negari potest, quod in inimico & hostili conflictu occisoris & occisi maxima corporis perturbatio præcedat, quæ ejusmodi qualitatem occultam humoribus & spiritibus imprimere possit, ita ut effluvium spiritale inimicum ab occisore effluens, in corpore occisi sanguinem commovere queat. *Resp.* verò per *dist. 17* *ωδρον. disp. II.* Concedendo quidem, quod in *hostili conflictu* maxima fiat *spirituum & humorum commotio*, quatenus ipsis phantasia imperat, & tanquam adminicula pro defendendis partibus huc & illuc transmittit. Cum autem nullum *objectum sensile* secundum *realem suam naturam* à sensu nostro recipiatur, sed solum per *speciem sensibilem* tanquam per imaginem repræsentetur; idcirco non constat, quomodo *corpori percussoris* ejusmodi qualitas *realiter* imprimi possit, quæ per *effluvium spiritale* postea egrediatur, & sanguinem in occiso corpore ad motum adhuc aptum commoveat. Non enim inter *hostes pugna est*, quatenus sunt *homines, vel corpora naturalia*; sed quatenus *unus alterum odit, & illata injuria vindictam expetit.* Vid. *Horst. l. c. p. 42. 43.*

S. III. (2) *Omnis Antipathia perpetuo est eadem; atqui inimicitia inter sanguinem occisi & occisorem perpetuò non est eadem; Ergò non est Antipathia.* Major experientia roboratur. Vitis enim perpetuò brassicam odit, ovis perpetuò lupum fugit, columba perpetuò accipitrem horret. Nec ullum contrarium facile afferri potest exemplum. Minor patet (1) quia sanguis ex occisi corpore non semper stillat, quantumvis presens sit homicida. Id quod ipse *Libavius* exemplo *Ilmenoitano* confirmat, ubi opinioni eventus non respondit, cum tamen sat recens cædis auctor adhiberetur, ipseque factum confiteretur, *pag. 154. 278.* Et vel sexcentis aliis, si opus foret, exemplis idem probatum dare possemus. Atque hinc etiam, quod refert *Apollonius Rhodius l. 4. Argonaut. n. 41. p. 184.* & *Scholiastes Sophoclis in Electra*, antiquitus receptum fuit, ut, qui fluxu sanguinis ex  
occi-



occisi corpore prodi nollent, *ter lingerent* interfecti sanguinem, statim expuendum, aut extrema corporis, *nasum, aures, digitos, pedem manumve*, ad collum vel maxillas suspenderent; aut gladium, cædis instrumentum, *capillis interfecti abstergerent*. (2) quia sanguis ex cadavere ad amicorum etiam & cognatorum præsentiam sæpius emanavit, id quod luculenter patet vel ex unica illa historia, quam *Libavius c. l.* annotavit, de cadavere *sponse* ad præsentiam *sponsi* stillante. (3) quia sanguis, nullo vel amico vel interfectore præsentente sæpius effluxit, quo de vide disp. II. κατὰ οὐκ.

§. IV. At inquit: Externum sæpius adesse impedimentum, quod spiritale effluvium corrumpat, ita ut *ἀντιπαρὰ δὲ ἄλλων* in sese agere & reagere non possint. Id quod apparet in *mustelis & testudinibus*, quibus, si *ruta* sint munitæ, frustra insidiantur serpentes. Eaquæ propter etiam hic ex occisi corpore non semper effluere sanguinem, licet præsens sit interfector. Verum respondemus, concedendo, quod sæpius impedimentum aliquod adsit externum, quale inter serpentes & mustelas est *ruta*, inter magnetem & ferrum (respectu *Sympathias*) est *allium*; at verò an idem hic reperiat, id est de quo valde dubitamus. Nomina enim nobis externum illud impedimentum, quod hæmorrhagiam illam sistit, & inhibet, & *Phyllida* solus habeto. Nomina eam nobis rationem, ob quam cadaver licet vel ipse interfector digitos suos in ipsa occisi vulnera immiserit, sanguinem tamen nullum emiserit, & vir esto.

§. V. Dices: Impedimentum illud esse *Aërem, aromatibus aut alijs graveolentibus alteratum*: vel etiam *demonem* in gratiam homicidæ vel alicujus sagæ posse hæmorrhagiam sistere. Resp. (1) quæ prius concedendo quidem, quod *aëris densatio* spiritale effluvium nonnunquam corrumpere possit, quo minus ad aliud corpus transire valeat. Unde verò constat, quod *hic* ejusmodi spiritale reperiat, atquæ egrediatur effluvium? Unde constat, quod si spiritus forte an emittantur, illi præcisè in adstantem homicidam ferantur? Hoc probandum prius, non præsupponendum saltim est. Et quid dicendum de eo, quando occisor digitos in vulnera mittit, imò linguam suam eadem attingit, nequæ tamen ullam sanguinis guttulam elicit, Tunc sanè aëris immutatio in causa esse non poterit, quo minus spiritale efflu-

effluvium sanguinis fluxum excitet, cum parum vel nihil aëris occi-  
forem inter & occisi corpus intercedat. (2) quâ postèrius, *sequelam*  
*negando*. Nam à *posse* ad *esse* *N.V.C.* Neq; etiam à *particulari* ad *u-*  
*niversale* concludere Philosopho licitum est.

§. VI. Ex hîlce igitur patet, parum assensus illam mereri o-  
pinionem, quæ effectum hunc *Antipathie* attribuit. Quæ verò di-  
cenda restant, circa *Kircheri* hypothesès atq; rationes, ea ipsi discur-  
sui reservabimus. Nunc ad alia pergimus.

### EXAMEN III.

#### *Opinionis Campanella, Tholosani &c. rem ad animæ reliquias deferentium.*

Quod ad hanc sententiam attinet, respondemus (1) Si Stillatio  
sanguinis ex occisi corpore provenit ex *reliquiis animæ*, illæ *reliquie*  
aut erunt *animæ rationalis*, aut *sensitivæ*, aut *vegetantis*; plures enim  
animæ gradus non dantur. Sed non sunt *reliquie animæ rationalis*,  
quia hæc maximè *diversa* est, *Arist. 8. Met. c. 3. tit. 10.* & jamjam  
corpus reliquit, neq; sunt *reliquie animæ sensitivæ* vel *vegetantis*, quia  
ipsa *animæ sensitivæ* atq; *vegetativæ* à *rationali*, in homine, non distin-  
guuntur *realiter*. (2) Quod concernit *exempla*, quæ proferuntur, ea  
ad rhombum faciunt minimè. *Cauda* enim *anguillarum* & *lacer-*  
*tarum abscisæ*, it. *pedes araneorum truncati*, non eo *precisè* tempore,  
quo ille, qui *abscidit*, *præsens* est, commoventur; sed *quocung; tem-*  
*pore*, & tantisper donec *vis omnis* extincta erit. Neq; tantùm *occiso-*  
*re præsente*, sed ad *cujuslibet præsentiæ* motum faciunt. (3) *Disting.*  
propterea inter *ferventem quendam calorem vel vaporem*, & *animæ re-*  
*liquias*; illum in occisi corpore, præsertim in corde, aliquandiu be-  
neficio sanguinis retineri posse, non inficiamur, sed inde statim ad  
*animæ reliquias* dilabi non debemus. (4) Contra *Tholosanum* ita  
concludimus: Quicquid mente prorsus destituitur, illud mente  
concuti nequit; atqui cadaver hominis interemti, mente prorsus ca-  
ret. destituitur; Ergo. *Major* sua luce lucet. Nam non Entis  
nullæ possunt esse affectiones, nullæ operationes. *Minor* vel ex  
antecedentibus constat.

EXA-

## EXAMEN IV.

*Opinionis Cælii Rhodigini.*

Circa hanc sequentia sunt observanda ; (1) *Falsò* intra plus minus *septem* horas sanguinem effluere, asserit. Ex cadavere enim *octenali* ad præsentiam matris sanguinem stillasse, *Albertus Hildebrand. lib. Observ. Sing. Horst. p. 432.* refert. (2) Non constat, quid per *sensilis animæ vires* intelligat Auctor ille. Aut n. intelligit aliquod *substantiale*, aut aliquod *Accidentale*. Si *substantiale*, vel *reliquias animæ sensitivæ* intelligit, vel *spiritus* ab anima adhuc præsentem, commotos. Si *illud*, animam rationalem *divisibilem* faciat necesse est, quod tamen absurdum; Sin *hoc*, dicat quomodo spiritus illi *præcisè* commoveantur, *præsentem percussore*? Quod si a. *accidentale*, quid intelligat, sciat nulum *accidens absq; suo subiecto naturaliter subsistere* posse. (3) *Petitio principij* est, spiritus convolare, & insitâ levitate mox auctore circumfilire, cujus calore perseverent persistentq; aliquandiu. Unde n., quæso, hoc probabitur? Ea igitur facilitate, quâ dicitur, etiam rejicitur. (4) Ingens quoq; *Postulatum* est, Spiritus semel egressos sanguinem denuò repetere. Unde n. hic *appetitus* spiritibus? Et si talem habent, cur à sanguine antea recessere? Unde illa insultatio spirituum in occisore? à *vindicta*? at hæc carent, quoniam anima carent. *Vindicta v. animæ affectus* est. (5) Exinde potius sequeretur, occisorem sanguinem effundere, quia in eum convolent spiritus & evolando sanguinem educant. (6) Videtur supponere, visionem fieri per radiorum emissionem, quâ mediante emittantur quoq; insimul spiritus ab occisore recepti: Sed hoc jam dudum explosum est à Sapientioribus. Vid. *Sperl. in Zool.* (7) Non omnia *cadavera* cum *vindictâ* ceciderunt, Anne igitur his omnis omninò sanguinis fluxus denegandus? Certè, ex sententiâ *Rhodigini*. Cû n. in his nulla præcesserit *vindictæ* aut cupiditatis cogitatio, nullæ etiam *sensilis animæ*, cupiditatis scil. & *vindictæ*, vires residuæ esse poterunt. Sed tamen hæmorrhagiam ista quoque corpora passa esse, testatur satis superq; experientia.

## EXAMEN V.

*Opinionis Bodini, Kornmanni, & aliorum, operantibus interfectorum animabus effectum huncce adscribere vult.*

Non à veritate tantum, sed a pietate etiam aliena prorsus hæc

B

senten-

sententia est. Sic enim (1) arguimus: Quæcunq; anima à corpore suo est separata, illa per corpus amplius operari nequit: Atqui anima interemti hominis à corpore suo est separata; Ergò per corpus operari nequit. *Major* inde corroboratur, quia inter *agens* & *patiens* necessarius est aliquis *contactus*, sive *corporalis* ille sit, sive *virtualis*. *Minor* ex ipsa mortis ratione patet. Nam *mors* sive *naturalis* sit, sive *violenta*, nihil aliud est, quàm *separatio anima à corpore*. (2) Omnis anima separata extra mundanam conversationem in certo suo πῦρ existit, adeoq; circa cadavera errare aut cruentationem causari nequit: atqui anima interemti hominis est separata; Ergò. *Minor* est certa, secus n. corpus adhuc informaret, & ad actiones vitales obeundas disponderet, adeoq; per consequens corpus non mortuum, sed vivum esset. *Major* ex libro Scripturæ cum primis redditur manifesta. (3) *Anima latet in sanguine, sed cum corpore conjuncta*, non verò *separata*. Deinde *est in sanguine non principaliter, sed instrumentaliter*; non *exclusivè*, sed *inclusivè*. (4) *Inconsequens est consequentia*: Anima latet in sanguine, & invita discedit à corpore; Ergò circumerrat illud & se ipsi insinuare tentat. Rationem inconsequentię *Theologorum* supeditant scholæ, in quas transilire nolumus, neq; debemus. (6) Et cum nostrum etiam non sit, ad locum illum *Genes. IV*, respondere, audiat saltim *B. Gerhardus Comment. in Genes. c. 4. p. 148.* ubi hæc habentur: (α) *Per Prosopopœiam atrocitas homicidii exprimitur, quod singulae quasi guttæ sanguinis habeant linguas, & vindictam exposcant.* (β) *Anima Abelis coram Deo post mortem locuta Apoc. VI. v. 11.* (γ) *Clamor, quem Abel edidit, cum à fratre interficeretur, post mortem adhuc sonuit in auribus Dei.* A clamore itaq; vindictę ad Deum, ad clamorem vindictę ad homines & ad sanguinis destillationem *N. V. C.*

#### EXAMEN VI.

*Opinionis Cornelii Gemmae, in occisoris imagine, sanguinis occisi inherente, causam querentis.*

*Falsa*, quæ hæc sententia continet, tot ferè sunt, quot verba, quibus ipsa exprimitur. Nam (1) *falso* stillicidium hoc ad tertium usq; diem restringi videtur; cum vel sexcenta adsint exempla, quæ contrarium loquuntur, uti jam supra evicimus. (2) *Falsò interfectoris idea*

*idea in concreto cadaveris sanguine latere dicitur. Quo enim pacto idea in sanguine latitet, cum ipse nunquam senserit aut cognoverit ideam? Aut ipse sanguis percipit naturali facultate objectum: aut vi impressum ab externâ causâ suscipit. Neutrum esse potest. Et si latitat, quo pacto citra sensorium externum vivum cognoscet præsentem? Nam necesse est, interiores ideam conferri cum exteriori sensibili. At hoc nullo, ne dormiente quidem, nedum mortuo fieri potest. Remanere quasdam imagines in sensoriis vult Philosophus: unde nocturno tempore obversentur nobis diei gesta; at clausis oculis & jam de mortuis amissâ formâ & facultate suâ quis conjiceret præsentem illam rem, à qua ante sensilem speciem conceperat? Mirabile etiam est, cur id ponat in quovis sanguine, cum nonnisi circa cerebrum sanguis putetur ad sentiendum aptus. In spiritibus tam fugacibus, quomodo erit idea residua? Nullus apoplecticorum aut dormientium hostem suum adstantem percipit, quomodo mortuus? Cur etiam in concreto sanguine restet? aut quomodo hic postea fiet ita aqueus, ut perfluat? (3) Falsum, quod residuus ille spiritus propter ideas inhærentes in percussorem obvium concitetur; omni enim sensu, omni iudicio spiritus ille residuus caret, ita ut interfectorem sentire, aut ab alio homine eum distinguere nequeat. (4) Falsum quod stillicidium sanguinis è cadavere non prius supprimatur, quam occisor longè sit remotus; experientiam enim testem vocamus, sæpissimè hæmorrhagiam hanc, occisore adhuc præsentem, desuisse. Et quanta, quæso, sanguinis copia corpori inesset, si tantisper, donec percussor amoveretur, stillaret? Nonnunquam quidem id accidisse legimus; Sed particulare hoc est. A particulari autem ad Universale N.V.C.*

#### EXAMEN VII.

*Opinionis Majoli, aëris attractionem, & spirituum infectionem causam hujus rei constituentis.*

Hæc Majoli sententia satis quidem speciosè profertur, minus tñ. verè prolata esse videtur. Nam (1) propria vineta cædit, & sibi ipsi contradicit, dum inquit: *Cadaver omni spiritu est destitutum, & mox subjungit, quod tñ. horrore tunc concutiatur, transeunte occisore, quia spiritus ibi in vulnere sunt quadantenus infecti à spiritibus interficientis &c.*

Majoris evidentiae ergò argumentamur ita : Quodcunq; cadaver omni spiritu est destitutum, in illius etiam vulneribus spiritus nulli superesse possunt : atqui cadaver hominis interfecti omni spiritu est destitutum; Ergo. *Major* pro fundamento habet primum illud cognoscendi principium : *Impossibile est idem ( corpus ) simul esse ( spiritibus præditum ) & non esse ( spiritibus præditum )*. *Minor* est *Majoli*. E. (2) Negamus, quod cadaver interemti hominis, transeunte occisore, *horrore* concutiatur, idq; hoc ratiocinio probamus : Quodcunq; est *ἀναισθητον*, illud etiam horrore concuti non potest : Atqui cadaver hominis interemti est *ἀναισθητον* ; Ergò etiam horrore concuti non potest. *Major* patet, quia *horror* est *affectus animæ sensitivæ*, & sensibus rebusq; sensitivis tantum incutitur. Hinc frustra operam sumit, qui ligno vel lapidi horrorem injicere cupit. *Minor* est certissima & ab ipso etiam *Majolo* concessa. E. (3) *Principium petit*, quando dicit, spiritus in vulnere esse quadantenus infectos à spiritibus occisoris. Hoc enim adhuc dubium & probatione indiget. Incertum quoq; est, aërem ab interficientis spiritibus infici. Num enim hi egrediantur in hostili illo conflictu ex proprio suo domicilio, adhuc incertum. (5) Nec dubitatione caret, aërem infectum, transeunte homicidâ, ad ipsum vulnus *trahi*. Quænam enim hic *tractationis* fingenda *causa*? Num *facultas attractrix* languini concedenda, cujus beneficio effluvia attrahat? Minimè. Ratio est: Q. effluvia dissentanea sunt, illa non attrahuntur ab attractrice facultate: atqui effluvia illa, ab occisore, juxta illius sententiam, egressa respectu occisi sunt dissentanea; Ergo. *Minor* ex *hypothesi Majoli* propullulat. *Major* ex *facultatis attractricis* constitutione patet. (6) Concedimus aliàs, quod *tractio aëris* aliquam sanguinis ebullitionem causari possit; verum an *precisè* ad præsentiam homicidæ sanguis ab aëre excitetur, nondum satis est confirmatum.

## EXAMEN IIX.

### *Opinionis Watsonii.*

Limam, quæ mereantur, sequentia sunt: (1) *Homicidæ* ad cadaver adductus non semper *alteratur*. Quidam enim præfracti sunt animi, ita ut nullo ferè modo commoveri possint. Alii sibi persuadent, hæc  
morra-

morrhagiam non esse secuturam, adeoq; itidem non afficiuntur. (2) Interim posito, *metus* aliosq; *affectus* occupare *interfectorem*, nondum tamen constat, an sint *causa* istius effluxus. (3) Non semper nudato corpori manus tremantis imponuntur; Ergo *χειροσφραδα* *adequata* illius stillicidii *causa* esse nequit. (4) Si manus tremantis refrigerant sanguinem, eundem non educunt: atqui verum est prius, secundum mentem *Watsonii*; Ergo & posterius. *Majoris* connexio patet: quia sanguis per *frigiditatem* ad *fluxum* ineptus redditur.

#### EXAMEN IX.

### *Opinionis Libavii, Avicenna, &c. mira de Imaginatione somniantium.*

§. I. Ad *Libavii* lententiam notamus (1) concedendo quidem, quod motus sanguinis eo ipso tempore, quo primum alter cum altero congressus est, vehementissimus in corpore fuerit, quodq; ejus vis & potentia tam citò non extinguatur; at vero quod illa vis in quartum usq; annum pluresve duret, vero non videtur consentaneum. Argumentamur ita: A quocunq; anima est separata, illius sanguis residuus diu naturaliter moveri non potest: Atqui à cadavere occisi hominis anima est separata; Ergò illius sanguis residuus diu naturaliter moveri non potest. *Major* probatur, quia anima internum est principium motus in animato. *Minor* nulla probatione indiget. (2) Ut ut ponam9 etiam, sanguini, quamdiu in naturali suo vigore est constitutus, naturalem quandam inesse vim ad movendum; tamen quod *precisè* ille motus, animà jam separatâ, determinetur ad *presentiam amici vel inimici*, illud negamus. Hinc *principii petitio* est, quando *Libavius* dicit, *naturâ inesse cadaveri vim quandam, quâ valeat presente s. amico s. inimico circa spiritus & sanguinem moveri*. Quid obstat, quò minus etiam vel *alio* vel *nullo presente* per *motricem* illam *facultatem* moveri possit? Probandum, non saltim dicendum hoc fuisset. (3) Nititur *Libavius* falsâ hypothesi, dum *affectus* non ad *animam* solùm, sed ad *corpus* etiam refert p. 306. adeoq; in sanguine occisi esse affectum ulciscendi se, colligit. Verùm præter rem & rationem, Nam quicquid est qualitas animæ sensitivæ, illud non est qualitas corporis; atqui affectus est qualitas animæ sensitivæ; Ergo. *Major*, quia

anima & corpus distinctissima sunt. *Minor* : quia *affectus* est passio animæ sensitivæ, insequens facultatem ipsius appetentem. Vid. *B. Sperl. in Zool.* (4) Non semper mutuus est hostilis conflictus, quod *Libavius* p. 281. supponere videtur, cū sæpe ex improvise alter ab altero interficiatur, neq; tñ ideo fluxus sanguinis cessat. Vide *Horstium* l. c. & fidem dictis facies. (5) Rationem illam, quam ex *spiritibus interempti* petit, eamq; dicit causam esse moti sanguinis in percussio, cum nondum satis exposuerit, nondum quoq; eam recipere possumus : & tamen ibidem plurima pro ea confirmanda adduxerit, paucissima tamen, immò omnia ad rem nec quicquam faciunt. (6) Quod *imaginationem* concernit, non negamus, magnos atq; admirandos ejus esse effectus. Sic *imaginatio* varios mirosq; efformat foetus. Hinc mulier alba Æthiopem peperit, teste *Quintiliano* : Æthiopiæ Regis Conjug Chariclæam albam genuit, narrante *Heliodoro* : puella hirsutum puerum in lucem edidit, auctore *Damasceno* ; aliæ cornutos protulere filios, referente *Job. Bapt. Porta*. *Imaginatio* subitas, easq; vehementissimas, commotiones atq; immutationes ex amoris affectu dependentes, causatur. *Imaginatio* ὑπνοβάτης sui quadam specie per somnum oblata, instigat, ut dormiendo surgant, & vigilantium opera perficiant. Quid? *Imaginatio* imperat humoribus, imperat spiritibus in corpore nostro. Hinc cum imaginamur rem terribilem, colligit se sanguis circa cor; cum jucundam, effunditur; cum indignam aut turpem, tendit in faciem; cum libidinosam, tendit in genitalia, atq; in has aut illas partes, ut hæc aut illa *imaginatio* surripit, dicente *Vallesio* lib. 2. *Controv. cap. 4.* *Imaginatio* in vulnerato etiam vivente sanguinem excitare potis est, præsentente vulnerante, ut jam supra docuimus. Verum enim verò an *imaginatio* idem in vulnerato mortuo præstare, sanguinemque ad occiloris præsentiam excitare valeat, sanæ rationi non videtur esse consentaneum. Dic enim, quæso, quomodo per *imaginationem* spiritus ex interfectore ad interfectum egredientur? dic quomodo ex interfecto vapores unà educerent? dic annon potius occisor, quam occilus hac ratione sanguinem sit emisurus? dum enim ex eo spiritus exeunt, facile quoque nonnullas guttulas secum trahere possunt. Vanum ergò est, quod in *Imaginatione* *Libavius* quærit, κενὸ Φύγετον.

§. II.



§.II. Sed dandum etiam aliquid est *Avicennæ*, aliisque *Arabibus* ap. *Weinrichium l.c.* Nam frustra hi supponunt, *phantasiam* in *externam* quoque *materiam* multum juris habere. Quod si n. (1) verum esset, beati forent *melancholici*, nemoque non posset sibi *divitias*, *regna*, & alia multa acquirere. Et quis nostrum viveret, si *imaginatione* hostium tantopere in nos valeret? quid opus esset, tormentis ad bellum sese instruere; (2) Et si in proprii sui corporis partes pro libitu agere non potest, quomodo in externa & aliena imperium exercebit? Prius patet. *Digitus* in *gangræna* est emortuus; sed imaginando non vivificatur. *Imagino* ignem, non calefit cerebrum. *Nivem* cogito, non refrigeratur. *Non ægrotat* medicus, de morbo dum cogitat. *Non convalescit* ægrotus, cum sanitatem tacitâ secum volvit mente. Quemadmodum n. *speculum*, cum in eo rei oppositæ *idolum* apparet, non mutatur neque in melius, neque in deterius; ita neque *phantasia*, utpote quæ *speculum* quasi animæ est, *imagines* rerum recipiens. Vid. *Weinrichium l.c. p. 168.* (3) Quod v. attinet ad fundamenta hujus sententiæ, ea valde lubrica atque imbecillia sunt. Nam commentum est, nonnullos solo *contactu* incurabiles morbos, sine remedio aliquo per *imaginationem* aliquam sustulisse. Distinguendum n. inter nudam *imaginationem*, & *superstitionem*. Huic, non illi curatio illa, si quæ subsequuta est, accepta ferenda. Deinde *phantasticum* quoque est, sæpe serpentes unum in locum per *imaginationem* esse coactos. Nam iterum hic disting. inter *imaginationem*, & *superstitionem* s. *demoniacam confederationem*. Hanc, non illam lapit *serpentum incantatio*. Vid. *Delirio in disquisit. Mag.*

#### EXAMEN X.

### *Opinionis Valeriolæ, Melanchthonis, Tympii, arcano Dei judicio rem committentium.*

Hi triplici peccant modo (1) supponendo, *stillicidium* hocce sanguinis certum presentis occisoris exhibere indicium, quod tamen jam disp. 2. explosimus. (2) Confugiendo ad *causam primam* & *universalem*, neglectis *secundis* atque *particularibus*. Non quidem inficiamur, Deum Opt. Max. uti ad omnes, ita ad hos quoque effectus concurrere; verum non excluduntur eo ipsæ causæ particulares. *Causa n. prima*, quoad *ordinarium* naturæ cursum, non agit sine *secunda*, docentibus *Metaphysicorum* scholis. (3) Non distinguendo inter *casus naturales*, & *supernaturales*.

11  
eurales. In his ad causam supernaturalem confugiendum; in illis v. cau-  
se proxime, naturales atq; particulares attendendæ sunt atq; indagandæ,  
Verùm cum hæc jam satis superq; constent,

FINEM

Stillicidio huic sanguinis imponimus,

DEO OPT. MAX.

tribuentes

G L O R I A M!

---

**Q**uam vigili properes studio penetrare secreta,  
Naturæ, monstrant hæc monumenta satis?  
Numinis auxilium conatus hosce secundet,  
Ut Patriæ quondam commoda mille ferant.

Johannes Deutschmann / D.

---

**A**bdita nature rimari, cernere, verum  
Quid falsumve fiet, non levis ille labor,  
Quod quia tu tentas crebrò, doctissime LANI,  
Gloria proveniet non levis inde tibi.  
Gratulor! atque tui fructus ut ritè laboris  
Condignos capias, corde vovente precor!

Ferdinandus Khien, Med. D.

---

**P**ulpita clara Sophum crebrò conscendis, Amice,  
Defendens Sophicas non sine laude theses.  
Applaudunt votis Tibi culta Lycæa Sophorum.  
Eû; perge, ut pergis. Sic eris ipse σοφός.

Eruditissimo Dn. Lani, Auditori suo diligentissimo l. mg. f.

M. Gothofredus Voigt / Delic. Misn.

---

**P**rosperet summus Tua cœpta JOVA,  
Et bonum ad finem, precor, ille ducat,  
Ut Tui semper vigeant labores,

Flamine Sancto!


Paucula hæc Præ eximio ac Politissimo Dn. Respondenti, rudiori calamo gratulabundus subscribere voluit,

Matthias Jronch / L. H. SS. Theol. studios.

05 A 169

ULB Halle  
004 206 797


3



VDA 17







B.I.G.

Farbkarte #13

Black  
3/Color  
White  
Magenta  
Red  
Yellow  
Green  
Cyan  
Blue

I. N. J. 10

DISPUTATIO PHYSICA TERTIA,  
 eaq; ULTIMA,  
 De  
**ILLICIDIO**  
 VINIS EX INTEREM-  
 IOMINIS CADAVERE,  
 PRÆSENTE OCCISORE,  
 Quam  
 recentissimâ VVittebergenfi Academia  
 PRÆSES  
**OTHOFREDUS Zoigt/**  
 Delicio - Misnicus,  
 &  
 RESPONDENS  
**ARGIUS LANI, Trentschi-**  
 nio - Hungarus,  
*publica doctorum censura*  
*submittent,*  
 In Auditorio Minori,  
*Horis Matutinis, Die 2. Novembr.*

---

WITTEBERGÆ  
 JOHANNIS BORCKARDI, Anno 1667.

